# BONA NOVA ANATOMICA

*hoc est*

# NOVITER INVENTA

*PER*

ANATOMICORUM ACCURATAM DILIGENTIAM

*Dum*

IN THEATRO ANATOMICO

CADAVERIS

IUVENIS AYTOXEIPOC

Sollemnem Sectionem

celebrat,

*Congeßit & proposuit*

GEORGIUS FRANCUS,
MED. ET PHIL. D. PROF. P. FACULT.
MED. DECANUS; ACAD. S.R.I. NAT. CURIOS.
UT ET PATAVINAE RECUPERATORUM
COLLEGA.



*HEIDELBERGÆ,*
Literis SAMUELIS AMMONII, *UNIV.* Typog.

VIRIS JVVENIBVS

# NOBILISSIMIS, EXPERIENT.

PRAECLARISSIMIS ATQVE PEREXIMIIS MEDICINAE LICENTIATIS, CANDIDATIS ATQVE CVLTORIBVS MAXIME industriis in hac nostra Electorali



# DOMINIS AMICIS, SPECTATORIbus mihi longe dulcissimis

ECquibus aliis poteram aptius has pagellas inscribere ac Vobis DILECTISSIMI MEI? Amavi insignes vestros profectus; laudavi & adhuc collaudo ardorem atq; avidissimã discendi cupiditatem; qua Collegiis tum publicis tum privatis & Excellentissimi D. D. WINCLERI, Archiatri atque Collegæ honoratissimi; & meis studiose invigilatis. Si FLORA invitat; promtissimi adestis Hospites, & me concomitamini comites dulcissimi. Si prosectio brutorum juvat quemquam, Vos certe vel maxime juvat; eoque crebrius illam concelebratis. Præterea lætior seges Auditorum in sacra nostra Arte, sollertissimorum intra seculum heic vix ac ne vix quidem visa fuit; ita ut numerus longe ultra XX. excreverit. DEVS vos servet; & faciat una omnes πολλῶν ἀνταξίους ἄλλων; ut sitis suavissima viventium vita; & mors mortis prudentissima. Valete PP. e museo meo IX Novembr. cIↃ IↃc LXXX.

VV. Nobil. Clar.

paratissimus

GEORGIVS FRANCVS.

# B. C. D.

## §. I.

QVod *SVLMONENSIS* olim *Metam. VIII.* 12. 37. seqq. cecinit de Te

*— — maris incola, Proteu:*
*Nam modo Te Juvenem, modo Te videre leonem:*
*Nunc violentus aper, nunc quem tetigisse timerent*
*Anguis erat: modo Te faciebant cornua taurum.*
*Sæpe lapis poteras, arbor quoque sæpe videri &c.*

Hoc certe & Anatome nostræ sæpe sæpius accidit; ut videatur, quæ non sit; & sit quæ non videatur.

§. 2. Herophilus equidem olim tantam secandi peritiam sibi comparaverat, testibus *GALENO, comm. XI. in Hipp. Nat. Hum.* & *TERTVL. l. de Anima cap. X.* ut ausus sit *Gabr. FALLOPIVS tr. de mat. med. in Dioscor. l. 1. cap. 1. p. 25.* dicere: Herophili *autoritas apud me circa res Anatomicas est* Euangelium.

§. 3. Nihilominus bonus ille prosector, si revivisceret & respiceret ad hanc nostram modernam Anatomen ejusque recentia inventa, credo balbutiret potius, quam eloqueretur; Medicus ob nimiam alioquin subtilitatem desertus, teste *PLINIO XI. 37.* Adeo intra seculum, quæ latuere prius in apricum plurima sunt producta ex prudentissimo vaticinio *HIPPOCRATIS* & *SENECAE* meorum.

§. 4. Circa ipsam ipsarum Partium Naturam & substantiam quanta mutatio! Veterum παρεγχύματα ( quæ *ERASISTRATVS* primus ita nuncupavit, teste *GALENO l. VIII.* κ. τόπους, *GORRAEO definitt. med. f. m. 263. a.* & *H. STEPHANO in Thesaur. Græc. Lingu. Tom. IV. f. m. 499.*) *quorsum jam evanuere?*

§. 5. Nolo scrupulousis illa cum *WHARTONO Adenogr. c. 11 p. m. 2.* dividere in parenchymata viscerum, glandularum, musculorum &c. Aut per διχοτομίαν in Sanguinea, e. g. ventriculi, intestinorum, vesicæ, uteri, cutis veræ &c. it. glandularum & cerebri: Sed saltim κοινῶς cum *GALENO* & *C. HOFMANN. Inst. Med. l. 2. c. XI.* §. 2. de Corde, Hepate, liene, pulmonibus & renibus intelligamus.

§. 6. Sed de *CORDE* quid audimus? *Triumphum* & *Querimoniam* ejus satis docte exposuit CL. *SEGERUS.* Nihilominus e parenchymatum numero non solum olim exterminavit *HIPPOCR. l. de Corde* Sed & recentiorum Anatomicorum sollers indagatio, puta *HARVEI. Exerc. I. de motu Cord. & Sangv. p. m. 165.* Celeb. *J. D. MAJOR.* Faut. & Amici & Collegæ honoratiss. *Anat. I. Kilon. c. 2. §. 29. Georg. SEGER. diss. in Hippocr. l. π. καρδίης c. 6. Richard. LOWER de Corde & mot. sangv. cap. I. p. m. 18. seqq.* & ex hoc Excell. *P. AMMAN. in Archæo Syncopt. Leichner. p. m. 57.* atque ipsa ocularis inspectio, coctique cordis examen circa fibras musculosas. Conf. STENON. *de musc. & gland. p. m. 2. 4. seqq.*

§. 7. *PULMONES* non παρέγχυμα sed vesicularum pæne infinitarum, orbicularium & sinuosarum glomeramen esse pridem cordate deduxerunt CL. *Marcell. Malpighius hist. I. de pulmon. ad J. Alf. Borell. p. m. 2. seq.* & Illustr. *Th. BARTHOLIN. diatrib. de Pulm. sect. 1. p. m. 2. & sect. 2. per tot. p. m. 18. seq. atque A. R. l. 2. c. 9. p. m. 418.* quos & in fetus formatione e glandulis spongiosis concrescere in lobos credidit Famosiss. iste *Francisc. Joseph. BURRHUS Epist. de Cerebro ad Th. Bartholin. (edit. Hafn. 1669.)*

§. 8. LIENEM parenchymatibus demunt plurimi. Immo *MALPIGH. Exerc. de Liene cap. IV. p. m. 188.* ait: *Et totum lienis corpus membranarum congeries in cellulas & concamerationes efformata, seu distincta.* Cui non videtur abnuere Excell. D. D. I. I. *WEPFERUS*, Fautor & Amicus Eximius ap. Celeb. *Th. BARTHOLIN. A. R. l. 1. c. 16. p. m. 159.* Alii potius glandulis transscribunt, quorum argumenta legi possunt ap. CL. *M. TILING. Anatom. Lienis sect. 1. c. 9. p. m. 98. seqq.* Ceu quoque de ejus formatione innuit *BURRHUS l. a.* Quibus tamen refragantur *WHARTONUS Adenograph. c. IV. p. m. 15.* & *TILING. l. c. p. m. 100. seqq.* Ipse *Franc. de le böe SYLVIUS. disp. med. V. §. 9.* ait; ejus substantiam *præ viscerum reliquorum*

rum

*rum omnium* esse *longe tenerrimam*, *solubilem & a vasis suis facile diffluentem*, *adeoque placentæ uterinæ eatenus plane consimilem.*

§. 9. RENIBUS itidem denegatur parenchymatis substantia; Quin vel glandulosa juxta *J. A. BORELL* est: Hinc *Th. BARTHOL. Cent. I. h. 14. p. m 29.* in puella recens nata & occisa ex plurimis glandulis majoribus distinctos vidit. Quod & nos aliquoties observavimus in renibus fetus mortui manu Chirurgica multoties extracti. Et clare patet in renibus vitulinis, ovillis &c Vel ipsorum substantia est ex fibris vasorum variis textura quædam, aut canaliculorum & capillarium meatuum aggeries, juxta *Laur. BELLINUM tr. de Renibus* (quem tamen refutat CL. *J. H. PAULLI in fine Anat. Anat. Bilsian.* Argentor. edit. 1665. & suo modo limitat *Th. BARTHOLIN. A. R. l. 1. c. 17. p. m. 181.*) atque *Marcell. MALPIGH. Exerc. de Renibus cap. 2. p. m. 122. seqq.*

§. 10. Superest denique *HEPAR*: Sed improprie dici παρέγχυμα veluti & renum & pulmonum ajebat CL. *DEUSINGIUS Exerc. de sangvif.* §. 22. Immo glandulam esse conglomeratam fuse deduxit diligentiss. *M. MALPIGHIUS. Exerc. de Hepat. c. 3. per tot.* e quo CL. *Casp. BARTHOLIN.* Th. Fil. *de ovar. muliebr. p. m. 14. & alibi.*

§. 11. Circa TESTES utriusque Sexus, quæ non hodie accuratius perscrutatus est culter Anatomicus? *MULIEBRES* neutiquam esse cadavera testium, uti *C.* HOFMAN. & LINDEN. (ceteroquin splendidi Duumviri Reip. Med.) voluere; & quæ operose congessit MOEBIUS *in fund. physiol. c. de usu part. genit in fem.* quin potius OVARIUM egregium, uti egregie illud deduxerunt SWAMMERDAM, HORNE, KERKRING, *R. de* GRAEF, GARMANN. *tr. Homo ex ovo*, CL. *Jerem. LOSSIUS disp. pecul.* & *NOS in Sat. Med. Contin. IV.* § 2. it. CL. *J. C. PEYER meth hist. anat. med. c. 5. p. m. 33.* atque fusius Doctiss. *Casp. BARTHOLINUS Junior tr. pecul.*

§. 12. Viriles vero nullo modo esse glandulas, sed μέταξαν potius quandam vasculorum minimorum primi quoque observavimus *Satyr. Med. Contin. IV.* §. 1. cum Celeb. *R. de* GRAEF. *de organ. Viror. genit. p. m. 55*, & passim.

 §. 13. Circa

§. 13. Circa varias GLANDVLAS quam curiosa recentiorum præ Veteribus fuerit sectio, abunde patet ex WHARTONI *Adenograph.* *Marcell.* MALPIGH. *Nicol.* STENONIS *tr. de musculis & Glandulis*, aliorumque doctissimis monumentis.

§. 14. Vah quam subtiles porro sunt in CEREBRI substantia genuina indaganda CL. *WILLIS in Anat. Cerebr.* FRACASSATVS *in Epist. ad Malpigh. de Cerebro*, & ipse Exc. MALPIGHIVS *in Exercit. de Cerebri Cortice*, ut taceam somnia potius quam rationes cerebri fiendi *Fr. Joseph.* BVRRHI *Epist. de Cerebr. ad Th. Bartholin.*

§. 15. NERVORVM origo omnium beneficio cultri Anatomici prudentioris hodie amplius neutiquam e Cerebro, sed e sola spinali medulla, tum intra, tum extra cranium petitur. Conf. omnino Doctiss. BLASIVM *tr. pecul. de spinal. medulla Th.* BARTHOLIN. *A. R. libell. 3. c. 1, p. m. 559.* & *cap. 3. p. m. 682. Th. WILLIS Anat. Cerebr. c. XIX. p. m. 144. TVLPIVM l. 1. obss. c. 3. p. m. 7.* &c.

§. 16. MVSCVLORVM vera origo, natura, figura & substantia non nisi prosectione accurata recentiorum præclare patuit, ceu de iis legi possunt Riolan. Bartholin. Steno, Vesling. &c. Immo eorum *numerus*, ( ita scribente Ill. Th. Bartholino A. R. l. 1. c. 5. p. m. 40. ) *iniri non potest, quin cottidie augetur observantium diligentia vel dividentium conatu* GALENVS semel numeravit supra 300. EBNSINA 529. *Hier. Fabr. ab* AQVAP. 420. immo 500. Si, qui dividi possunt, dividantur. RIOLANVS 431. Immo accuratior STENONIS industria musculum brachii deltoidem, quem unum veteres credidere, ex minoribus XII. constare docuit! repetente Celeb. *J. D.* MAIORE *in Consil. de Anatome Nova lit. C. 2. a.*

§. 17. Circa ὀστεολογίαν præcipue fetus aut infantium non vulgarem adhibuerunt operam *Volcher. COITER*: & *Henr. EYSSONIVS* nec non *KERKRINGIVS.* Ossis triquetri nisi inventionem, tamen insignem vim antepilepticam sibi arrogat PARACELSVS; vicina rotunda in sutura Lambdoidea ab Inventore doctissi. *Olao WORMIO* nomen invenerunt, teste Th. Bartholin. A. R. libell. 4. c. 5. p. m. 704. & Blasio in Anat. Hom. c. XIII. artic. 6. p. m. 39.

§. 18. AVDITVS vero OSSICVLA antiquis incognita: e quibus incus atque malleus debentur *Jacobo* CARPO: Stapes

autem

autem *Joh. Phil.* INGRASSIAE; vel juxta alios *COLVMBO*, aut diligentiss. *Bartholom.* EVSTACHIO. Quartum autem Orbiculare vel Cochlear cognominatum alii *Fr. de le böe SYLVIO*? alii *LINDENIO*; nonnulli *Cæcilio FOLIO*: Conf. *Th.* BARTHOLIN. *A. R. libell. IV. c. 7. p. m. 714.*

§. 19. In Vasis novis aperiendis quam ampla fuit messis. Testatur hoc *messis aurea HEMSTERHVSII*; & BLASII *appendix ad Veslingium.*

§. 20. VENAE LACTEAE inventæ ab *Casp.* ASELLIO Cremonensi, Professore Ticinensi, testibus *Greg. HORSTIO, Joh. Guil.* MANNAGETTA, SENNERTO, & HILDEBRANDO ap. HöFER *in H. M. l. 3. c. 1. p. m. 128. Vop. Fort. PLEMPIO in Fund. Med. l. 2. c. 8. f. m. 144.* CL. *Maur.* HOFMANNO & KERKRINGIO *in procem. obss.* scil. A. C. cIↄ Iↄc XXII, die 23. Julii primum observavit; scribentibus *Th.* BARTHOLIN. A. R. *libell.* I. *c 3. p. m. 607.* MOEB *in fund. physiol c.* XI. *p. m. 209. C. POSNER. disp. de Chylo* §. 57. Jenæ 1666. atque *Mich. SENNERTO disp. de Intestinis* §. 21. & *disp. de Sangvine probl. 1.* §. 12. Alii dicunt hoc factum cIↄ Iↄc XXVI. Quidam A. C. cIↄ Iↄc XXVII. uti MOEBIVS *Inst. l. 1. c.* XI. *p. m. 51.* Nimirum A. C. cIↄ Iↄc XXII. potuit primum videre: Anno vero cIↄ Iↄc XXVI. vel sequente publicis typis evulgare; sicuti factum est Mediolani in 4to cIↄ Iↄc XXVII. & deinceps Basileæ cIↄ Iↄc XXVIII.

§. 21. *PANCREATICVS DVCTVS* latuit usque ad A. C. cIↄ Iↄc XLI. ubi in auctumno apparuerit in Gallo indico t. t. domestico CL. WIRSVNGII, Bavari, Med. D. Exc. *Mauritio HOFMANNO*, h. t. Archiatro Elect. Brandeb. & P. P. Primar. Altorfino, Fautori atque Amico nostro honoratissimo, ceu refert *Th. BARTHOLIN. A. R l. I. c. 13. p. m. 113.* Verum CL. *J. P.* BRVNO *disp. de purgandi modo ac viis* §. 42. Præside ipsomet Celeb. *Maur. HOFMANNO 1652.* Altdorf. ait primum ab hoc inventum 1642. in gallo Indico. Ad eundem quoque annum ponit *Regn. de de* GRAEF *Exerc. de succi Pancreat. natura & usu* § 12. *seq.* Siquidem WIRSVNGIVS 1642. initio Martii hunc, occasione subpeditata ab *HOFMANNO*, demonstravit Patavii, ceu præsens inter alios vidit Exc. *Th. BARTHOLIN. l. a.* Atque ideo ab hoc, tanquam ab Au-

ctore

ctore audit Wirſungianus ductus, conf. *Fr. de le boë SYLV. diſp. Med. 2 th.* 17. KERKRING. *in proœm. obſſ.* Hujus ſuccum egregie delineaverunt feliciſſ. *Fr. de le boë SYLVIVS* paſſim in ſuis ſcribtis: Et ejus diſcipulus doctiſſ. *Regn. de GRAEF tr. pecul.* atq; *Bernh. SVVALVE tr. Pancreas pancrene &c.*

§. 22. Sequitur novum CHYLI RECEPTACVLVM, ita PECQVETO inventori nominatum; Conceptaculum DEVSING. *Exerc. de Chyli Motu* §. 47. Aliis Chyli Stagnum, veſica, penus, teſte *Th.* BARTHOLINO. Chyliferum ſaccum vocat *Nicol.* HOBOKENVS *de ſede animæ p. 2. c. 4. art. 9. §. 1.* Saccum lacteum *J. v.* HORNE; it. lacteam veſiculam ID. *in Microcoſm.* §. 30. utriculum membranaceum reputat *Th. CORNEL. Conſentin.* In homine *Th. BARTHOLIN. A. R. l. 1. c. 12. p. m.* 104. *ſeq.* non niſi glandulas lumbares agnoſcit, ad quas chylus per venas lacteas ex inteſtinis accedit. Inventor primus in brutis, eſt *Joh.* PECQVETVS; Diepæus, Medicus Gallus, teſtibus *Th.* CORNEL. *Conſent. progymn. VI. p. m.* 251. *Th. BARTHOLIN. DEVSING. l. a.* KERKRING. de GRAEF, *M.* SENNERT. *diſp. de Sanguine probl. 1. §. 13. &c.* Hic enim Pariſiis A. C. cIↄ Iↄc LI. invenit, *Th.* B*ARTHOLIN. de Lacteis thoracic. c. V. p. m.* 15. *C.* POSNER. *diſp. de Chylo* §. 8. & teſtatur ipſemet INVENTOR in *tr. Experim. nova Anatomica cap. 2.* Hardervvic. 1651. in 12. In homine vero *primum obſervavit Illuſtr.* Th. *BARTHOLIN.* ceu patet paſſim ex Ejus ſcribtis, præcipue *de lact. thorac. it. A. R. & Centur.* I. *hiſt. Anat. &c.*

§. 23. Inde exoritur novum itidem inventum, DVCTVS np. THORACICVS: aliis Ductus lacteus thoracis, Lacteæ thoracicæ, Ductus Chyliferi, ſeu rami lactei, DEVSING. *Exerc. de Chyli motu* §. 47. BILSIVS tamen roriferum cenſet appellandum teſte EODEM *ib.* §. 58. quamvis male juxta *Th. BARTHOLIN. A. R. p. m.* 620. Immo ipſe BILSIVS *reſpons. ad Epiſt. Tob. Andreæ p. m.* 7. vaſorum fermentiferorum maximum aſſerit. Adſcendit autem hic ductus thoracicus e glanduloſo meſenterii ſacculo, ſeu receptaculo chyli, uſque ad venam ſubclaviam, ad quam ſuccum ſuum me-

rum modo chylosum, modo lymphaticum (sive roriferum appelles) vide DEVSING. *l. a* BILS. atque WHARTON. *Adenogr. c. 17. p. m. 107.* Inventor primus in brutis, est PECQVETVS, testibus iisdem qui supra §. 22. it. *G.* SEGERO *de Lympha Bartholin. artic. I. p. m. 12.* MOEBIO *in fundam. physiol. c. I. p. m. 11.* BARBATO *de sangvine & ejus sero p. m. 7. Joh. Alb.* HVSWEDEL ap. SEGER. *Epist. 5. de Lympha Bartholin. p. m. 52.* Scil. A. C. cIↄ Iↄc LI. *Regn. de Graef. de succo Pancr. c. 1. p. m. 3.* Συνευρήτωρ Pecqueti celebratur *Joh. van* HORNE Anatomicus Leydensis; qui eodem tempore, alterius nescius, & publice demonstravit & libello conscribto exhibuit teste DIEMERBROCK *Anat. l. 1. c. 11. p. m. 48.* In homine vero ipse CL. *Th.* BARTHOLINVS primum vidit, ceu passim illud profitetur. Asserit equidem CL. WHARTONVS *Adenogr. c. 17. p. m. 106.* ex indicatione D. *Georg.* ENTII ductum thoracicum chyliferum ante Centum annos jam tum observatum & evulgatum a Celeb. Anatomico *Bartholomæo* EVSTACHIO, *libro de Vena sine pari antigram. 13. p. m. 301.* Venetiis 1564. edito Adde CL. ELSHOLZ. *clysmat. nov. cap. 1. p. m. 2.* Verum uti quædam rudia ibi adhuc sunt, tamen non plane de nihilo sunt, si locus ipse inspiciatur, dum satis clare eum describit, fatetur tamen ipse EVSTACHIVS ejus finem sibi esse obscurissimum, & adhuc non bene perceptum. Vide DIEMERBROCK *Anat. l. 1. c. 11. p. m. 49.*

§. 24. Sequuntur DVCTVS LYMPHATICI, qui sunt vascula tenuissima venis sangvineis magis conspicuis plerumque in gyrum associata, teste Excell. D. D. BRVNONE Fautore & Amico honorat: *in dogm. med. General. p. m. 65.* Hos adinvenit Illustr. *Th. BARTHOLINVS* ὁ πολυμαθέστατος, ceu & ipsemet testatur *Cent. 1. hist. anat. 23. p. m. 40. & tr. peeul. c. 2. p. m. 210.* (ap. HEMSTERHVIS) it. *N.* STENON. *in dedic. obss. anat.* MOEBIVS *in fund. physiol. c. 1. p. m. 12. & c. 12. p. m. 252.* DEVSING. *in vindic. fetus extra uterum sect. 5. p. m. 109.* KERCKRING. *in proœm. obss.* SACHS. *in Oceano macromicr. §. 77.* &c. Scil. hos observavit in canibus dissectis, in primis XV. Decembr. cIↄ Iↄc LI. & IX. Januar. cIↄ Iↄc LII. Sed pro lacteis eos habuit. At XXVIII. Febr. cIↄ Iↄc LII. adjuvante CL *Mich.* LYSERO in cane satis magno primum invenit & nominavit, vide CL. *Th.* BARTHOLIN. *de Vasis Lymph. c. 2. p. m. 210. seqq. & A. R. libell. I. c. 3. p. m. 622.* additque *p. 612.* eadem sibi

Bartholino asseruisse CL. *Mart.* BOGDAN. *in duplici Apologia.* Verum palmam illi vult facere dubiam CL. *Olaus* RVDBECK, Suecus, & Prof. Vbsaliensis, qui de semet testatur in *dedic. ductuum hepat. aquos p. m. 257.* (edit. HEMSTERHVIS) it. *cap. 1. & 6.* se incidisse in illorum notitiam A. C. 1650. primum testemque vocat Serenissimam Reginam Sueciæ Christinam, & *tr. pecul. c. 6.* ait se conspexisse primum cIↄ Iↄc LI. 27. Januar. postmodum 8. Febr. Deinceps 6. Martii cIↄ Iↄc LII. ac denique 19. & 30. Octobr. ultimo vero 27. April. cIↄ Iↄc LIII. Hunc quoque inventorem laudat *T. SCHENK schol. part. part. 3. c. 5. p. m. 239.* & *diss. de sero sangv. c. 4. p. m. 32.* aliiq;. Vtrumq; vero & *CL.* Bartholin & Rudbekium auctores laudat circa A. C. cIↄ Iↄc L. *seq. Regn. de GRAEF de succo pancreat. c. 1. p. m. 5.* & *DIEMERBROCK Anat. l. 1. c. 12. p. m. 58.* Sed ecce tertius intervenit, cui poscit hanc inventionem *WHARTONVS Adenograph. c. XV. p. m. 89.* qui statuit contra *Th.* Bartholin. horum vasorum verum auctorem esse D. JOLIVIUM, Collegam suum, qui primus invenerit circa A. C. cIↄ Iↄc L. Illi consentiunt *GLISSON.* & *CHARLETON. œcon. anim. Exerc. IX. p. m. 170.* Verum *Th. BARTHOLINVS in spicileg. ait tunc, ubi primum exhibebat, se nescivisse* Jolivium natum. Nos modestiam CL. *BARTHOLINI A. R. p. m. 622.* probamus; nec tamen dubitamus unam rem multis diverso tempore patere posse. Et posterioribus istis duobus, Jolivio videl. & Rudbekio derogat quoque *P. J.* SACHS. *Ocean. macromicroc.* §. *78. Joh. RIOLANVS HIGHMORO* adjudicat, sed male juxta SACHS. *l. a.* Immo idem *RIOLANVS* illa vasa nec *VESALIO* ignota fuisse autumat. Verum ex invidia; satis æque judicante CL. *SACHSIO l. c.* CL. *Conr. Vict. SCHNEIDERVS l. d. Catarrh. singular. p. m. 523.* ait. se A. C. cIↄ Iↄc XXXVIII. Jenæ demonstrasse; ceu ex eo refert *GARMANN. tr. d. ovo humano §. 14. p. m. 7.*

§. 25. Circa VASA SPERMATICA quam sudavit recentiorum diligentia Anatomicorum? Videre est ex *Regn. de* GRAEF *tr. de Organ. generat. J.* ROGERSII *tr. de Spermatosi c. 3. p. m. 409. seqq.* WHARTON. *in Adenograph. c. 28. seqq.* CHARLETON. *Occon. Animal. Exerc. X.* §. 8. *Th. BARTHOLIN. A. R. l. 1. c. 21. p. m. 202. seqq. DIEMERBROCK Anat. l. 1. c. 21. Joh. van HORNE in prodromo suarum*

*rum circa partes generationis in utroque sexu obss.* ad Rolfincium (Lugd. Batav. 1668. in 12.) &c.

§. 26. Adest aliud Corpus glandulosum circa renes intra seculum ferme adinventum quod ipsemet Inventor Glandulas nominat, & post eum *Archangelus PICCOLH.* atque *BAVHINVS* teste *Th. BARTHOLIN. A. R. l. 1. c. 18. p. m. 188. sic* Glandulas quoque renales vocant *Fr. de le Boe SYLVIVS disp. med. V.* §. 28. & *WHARTONVS Adenogr. c. XIV. p. m. 77.* Renes succenturiatos explicat *Jul. CASSERIVS Placentinus*, CL. *Th. BARTHOLINVS A. R. l. 1. c. 18.* & *Cent. I. hist. anat. 14. p. m. 29.* alibique Capsulas atrabilarias; quod minus probat WHARTONVS *Adenogr. l. a. p. m. 78.* qui potius nominare amat glandulas ad plexum: sive glandulas ad plexum nerveum sitas. Conf. DIEMERBROCK *Anat. l. 1. c. 18. p. m. 108.* Inventor celebratur *Bartholom. EVSTACHIVS* Eugubinus teste *Th. BARTHOLIN. A. R. l. 1. c. 18. p. m. 188.* Huncque in eandem rem allegat quoque WHARTONVS *Adenograph. c. XIV. p. m. 78.* Nos in præsenti cadavere satis egregios invenimus in homine ceteroquin, uti dicitur, satis faceto & curis soluto, interius instar lienis putridi mucidos ex fusco. Credimus usum habere Communem glandularum; aquam videl. inibi sequestratam referre ad venas emulgentes: ut sangvis per arterias similes allatus & in renibus sero suo orbus fluidior possit redire &c.

§. 27. Supersunt & GLANDVLÆ INTESTINORVM. Has nostra ætate primus *Th. WILLIS tr. de Medicament. operationibus*, intimæ intestinorum tunicæ, vel potius crustæ bombycinæ assignavit, quantum scit CL. *J. C. PEYER in præfat. ad Lect. de Glandulis Intestinorum.* Nim. WILLIS *pharmaceut, Rational. part. I. sect. 1. c. 2. p. m. 12.* ait crustam intestinorum interiorem & villosam in postica seu convexa ejus superficie, qua tunicæ nerveæ cohæret, glandulis annulatis numerosissimis ubique consitam esse: Alias tamen esse a suis videtur innuere CL. *PEYERVS l. a.* & *in Instituti proœmiali designatione p. m. 5. edit. Schafhus. 1677. in 8.* expresse ait ab Anatomicorum nemine, quantum ipse quidem viderit satis exacte traditas has glandulas. Verum similes jam meminit PECHLIN *de purgant.*

 *c. 34.*

*c. 34. p. m. 465.* in ventriculo (œſophagi glandulas meminit MEIBOM. *de vaſis palp. nov. lit. B. 4. a. ſeq.* 1666.) In ipſis v. inteſtinorum tunicis intertexi ſuſpicatur *c. 36 p. m. 506.* Ex hoc, it. *WILLIS. SWAMMERDAM in uteri muliebris fabrica* & *STENON.* quoq; præſubponit Exc. *WEDEL.* meus *phyſiol. ſ. 3. c. 12. p. 131. & 135.* Deſcribit autem generaliter PEYER in *Exerc. part. I. c. 1. p. m. 7.* ita: *Tenuia perfectiorum animalium inteſtina accuratius perluſtranti, crebra hinc inde, variis intervallis, corpuſculorum glanduloſorum agmina ſive plexus ſe produnt, diverſæ magnitudinis atque figuræ. Primo enim exigui in inteſtinorum principio: dein grandiores in ipſorum progreſſu; demum maximi in eorum exitu conſpiciuntur. Eſt & ubi ingens inteſtini tractus, hujusmodi plexu glanduloſo denſe ac velut racematim conſitus adparet: Idque circa Ilei extremitatem fere perpetuum eſt, cui glandulæ hæ adeo videntur domeſticæ ac neceſſariæ, ut quamvis cetera ſubinde inteſtina, tamen hoc iis nunquam deſtituatur. Imo ſicubi in Duodeno atque Jejuno deſint, in Ileo defectus ille numero ſubpletur. Horum vero plexuum facies modo in orbem concinnata, modo in ovi aut olivæ oblongam, aliamve anguloſam ac magis anomalam diſpoſita figuram cernitur. Intra ſingulorum autem plexuum ſphæram ſive ambitum, glandulæ nunc plures, nunc pauciores ſubſiſtunt: Aliquando decem tantum manipulatim; ſæpe viginti, quadraginta aut plures catervatim junguntur: interdum multitudine pene innumerabili, in quendam quaſi exercitum concurrunt, atque inſignem inteſtini tractum obſident.* Primum autem illas obſervavit clↄ Iↄc LXXIII. in Fele domeſtica ceu ſcribit *cap. 2. p. m 11. Harum glandularum magnitudo pro animalium mole ac ætate variat: plerumque milii ſemen aut raphani, nonnunquam & Lithoſpermatis æquant: alibi hos quantitatis terminos aut ſuperare, aut infra ſubſiſtere viſuntur. In recens natis ſive infantibus, ſive brutorum catulis, non ſemper, aut demum indagine ſolerti reperiuntur. Color tam plexuum, quam glandularum iis contentarum, nunc pallidus, nunc aliquantulum rubicundus adparet; interdum plane candicant, & liquor glandularum papillis, expreſſus, etiam albore quodam imbutus cernitur.* Nos bona noſtra, & complurium adſtantium Dnn. Spectatorum fide aſſerimus, in præſenti cadavere nos data opera inveſtigaſſe exacte ſatis: Sed nil inveniſſe, niſi circa finem ilei unicam ex obpoſito meſenterii intus ad magnitudinem fabæ, & quaſi e multis conflatam: quam ubi diſſecuimus ſatis ligamentoſam invenimus, prætereaque nihil. Potuit forte & hoc accidere, quod ab aliquot jam diebus cadaver tractaverimus: aut quod

inteſtina

intestina multa aqua fuerint elota; aut quod disparuerint &c. ideoque CL. Inventori nihil detractum volumus.

§. 28. In Censum recens inventorum veniunt quoque GLANDULAE & DUCTUS SALIVALES. Duplices autem sunt: vel superiores, vel Inferiores. Inferiores delineat *Th. BARTHOLIN. A. R. l. 3. c. 12. p. m. 542.* His inventores dantur *Francisc. GLISSONIUS Anatom. Hepat. c. XLV. p. m. 529.* atque *Th. WHARTONUS Adenograph. c. XXI.* Eosdem laudant etiam DEUSING. *Instit. Anat. part. 3. c. 7. §. 9. Exercit. de chylificatione §. 11. & Exerc. de chyli motu §. 59* Exc. *Conr. Vict. SCHNEIDER. de Catarrh. l. 3. sect. 1. c. 11. p. m. 423. seqq. Th. BARTHOLIN. Epist. ad Hoboken. p. m. 74.* & alibi *Gerh.* BLASIUS *comm. ad Vesling. Anat. p. m. 154. DIEMERBROK. Anat. l. 3. c. 24. p. m. 458. KERCKRING. in præf. obss. Franc. PIENS de Febb. l. 1. c. 5. p. m. 27. Regn. de GRAEF de succo pancreat. c. 1. p. m. 5. seq.* &c. Magis tamen a Whartono denominare discupiunt *Joh. van. HORNE microc. §. 19. DEUSING. Exerc. de Alim. Elaboratione &c.* Whartonumque publici juris clↄ Iↄc LX. inventionem fecisse scribit *I. T. SCHENCK, schol. Part. p. m. 240.* Verum *Regn. de GRAEF l. a.* ait Whartonum jam A. C. clↄ Iↄc LV. invenisse. Quamvis jam olim antiquis Medicis innotuisse alii velint. Nempe GALENO *l. xi. v. p. c.* 10. fuisse cognitos statuunt CL. *Th.* BARTHOLIN. *Cent 3. Epist. 50. p. m. 208. PIENS de febb. in gener. p. m. 27.* atque CL. *Joel.* LANGELOTT. ap. *Th.* BARTHOLIN. *l. a. Epist. 63. p. m. 253.* Verũ, quæ glandulæ ibi intelligantur; adhuc in dubio est, quod non male movit CL. C. HOFMANN. *in. nott. ad Galen. V. P. n.* 804. Sed nodus nondum est solutus, EBN-SINA qq. descripserit *l. 3. Canon. fen. 6. t. 1. c. 1.* quod prolixe ita statuunt *Th.* BARTHOLIN. & cum eo LANGELLOT, PIENS, DIEMERBROCK *ll. aa. &c.* item HALY ABBAS 3. *Theor. c. 16.* atque ISAAC, testibus iisdem ibidem atque CL. *Th.* BARTHOLINO *Cent. IV. Epist. 4. p. m. 18.* ac *Epistola ad Hoboken. p. m. 75.* Denique *Jacobus* CARPUS *in Mundinum p. m.* 401. (ceu ex eodem Carpo BERENGARIO refert CL. *de* FREN ap. PIENS *de Febb. tr. in genere c. V. p. m* 27. DIEMERBROCK. *l. a.*) aperte indigitaverit. Conf. *Th.* BARTHOLIN. *tr. defens. hepat. p. m. 575.* allegante GARMANNO *tr. de Ovo humano §. 14. p. m. 7.* Nos, quemadmodum non negamus Galeni locum penitius inspectum ἐν πλάτει

B 3 posse

posse multa involvere; Accuratam tamen rei definitionem potius Whartono tribuimus *disp. pecul. de saliva & vasis sal. valibus c. IV. p. m.* 14. Heidelberg 1673. cum DIEMERBROCK *Anat. l. 3. c. 24. p. m. 458.* Eorum describtionem vide sis ap. *Th.* BARTHOLIN. *A. R. l. 2. c. 11. p. m. 445.*

§. 29. SALIVALES DVCTVS SVPERIORES nec ita pridem inventi. Hi ab utroque latere in parotide glandula ramificationes spargunt, & ab eadem oblique descendunt sub cute; centrum musculi buccinatoris perforant, & amplo foramine desinunt intra cavum oris, in quod humorem salivalem eructant, scribente *Joh. van.* HORNE *in Microcosm.* §. 19. *p. m.* 28. De inventionis gloria (uti fere ubique fieri assolet.) contendunt CL. *Ger. BLASIVS* Med. Prof. Amstelodamensis *Med. General. p. m. 64.* & Dn. *Nicol. Steno*, Danus, olim Anatomicus maxime industrius, nunc Episcopus Titiopolitanus in *prodromo Apologiæ, & tr. de muscul. & Glandul. p. m.* 34. Vterque honoris sui strenuus vindex in scribtis publicis & apud *Th.* BARTHOLIN. *Cent. 3. Epist.* 24. *& 43.* CL. Stenonio adstruunt *Joh. van. HORNE l. a I. T. SCHENK Schol. part. l. ult. part.* 3. c. 7. *p. m. 241.* additque clↄ Iↄc LXIII. ab eo editos. it. *Regn. de* GRAEF. *de succ. pancr c.* 1. *p. m. 6.* Et ad hunc inclinant qq. *Th. BARTHOLIN Epist. ad Hoboken. p. m.* 74. *KERKRING. in proœm. obss Fr. de le Boe. Sylvius Prax. l. 1. c. 10. §. 2. Joh. v. HORNE* & Celeb. *WEDEL Physiol. s. 3. c. 7. p. m. 111. &c.* *CL.* Blasio autem *HOBOKENIVS* aliique. Utrique *CL Th. BARTHOLIN. A. R. l. 3. c. 9. p. m. 523.* Et componit, dum historiam eorum describit rem ita *DIEMERBROCK Anat, l. 3. c. 24. p. m. 459.* inquiens: *Præter dictos salivales adhuc alii duo, utrimque unus, anno 1661. mense Januario a D.* Joan van HORNE *in publico Leydensi theatro Anatomico demonstrati fuerunt, quos ille* Ductus Stenonis *appellavit, a* Nicolao Stenonis, Dano, *qui illi primus eos ostenderat, in eorumque cognitionem casu inciderat, dum Amsterdami aliquandiu ante cum hospite & Præceptore suo* Gerardo Blasio Medicinæ Professore, *caput ovillum diligentius perlustraret. Hinc postmodum inter* Blasium & *Nicol.* Stenonis *lites obortæ sunt, & primæ inventionis gloriolam editis libellis singuli sibi vendicarunt. Quid si, ut illæ lites inter hos amicos dirimantur, utrumque in ista inventione parem constituamus vel dicamus* Blasium *in ovillo; alterum in humano capite illos primo invenisse:*

*niſſe?* Nim. invenit *N. STENO 7* April. clↄ lↄc LXI. cum caput ovillum ſecaret, ut ipſemet ſcribit ap BARTHOLIN. *Cent. 3. Epiſt. 24.* Nos in præſenti Anatome utrinque ſatis egregios invenimus ex parotide vereconglomerata & ſatis magna lato principio exeuntes ferme ad tenuis calami ſcribtorii craſſitiem & omnibus Dnn. Spectatoribus palpandos ſuis manibus dedimus.

§. 30. Alios NOVOS SALIVALES DVCTVS proponit CL. DIEMERBROCK *Anat. l.a p.m. 459.* his verbis: *Præter hæc* (priora ſc. Stenoniana &c.) *adhuc plura alia minima in ore exiſtunt, præcipue in palato & buccis* (de his ante dictum) *quæ hactenus pleraque inviſibilia latent; Verum ſalivæ ex iis partibus tranſitus docet, per talia aliqua vaſcula, aut per poros membranæ inveſtientis* ~~certa~~ *, ſalivam ex multis exilibus glandulis intra membranam ſitis, exſtillare: Per quorum pororum conſtrictionem interdum a ſalivali liquore intra membranam detento; interius in buccis & palato tumores indolentes oboriuntur, qui multoties brevi tempore, vel inſenſibiliter, vel cum multa ſputatione ſolvuntur, vel Chirurgi inſtrumento aperiendi veniunt.* Et jam olim videtur quoque tetigiſſe STENO; ceu legere eſt in noſtra *diſſert: de ſalivalibus vaſis c. 4. p. m. 16.* Nim. τὸ σῶμα ἡμῶν ξυῤῥῦν καὶ ξυμπνῦν καὶ ξυμπάθεια πάντα, juxta COI effatum.

§. 31. Novas GLANDVLAS & VASA nova LACRYMALIA in oculis deſcribunt CL. *J. T. SCHENK. in Schola partium part. 3. c. 7. p. m. 242. ſeq. WEDEL. phyſiol. ſ. 3. c. 26.* Inventori *Nicol. STENONIO* tribuunt, quod & faciunt *Th.* BARTGLIN. *A. R. l. 3. c. 8. p. m. 512.* atque *H.* MEIBOMIVS *de novis palpebrarum vaſis lit. B. 2. b.*

§. 32. *Præter hæc* (ſunt verba Magni Th: BARTHOLINI A. R. l. jam c.) in *utriusque palpebræ extrema ora, ſeu tarſi interna parte,* Ductus ſeu oſtiola *ultra XXX in toto limbo deſcribit* Henr: Meibomius, *a ſe obſervata, ex totidem diſtinctis glandulis, quæ preſſæ humorem fundant per oſtia hæc limbi. In ſuperiori tarſo longiores ſunt, quia & palpebra latior, nec recta feruntur: In inferiori & recti & breviores. DVCTVS HYGROPHTHALMICOS vocat BORRICHIVS, cui qq. forſan eadem tempore viſi ſunt; quos potius* HYGROBLEPHARICOS *dicendos vult* SEGERVS: *quia intra orbitam inque palpebras ſe exonerant.* Nim. CL. Inventor *Henr. MEIBOMIVS* Medicus elegantiſſimus in *Epiſt. ad Exc. Joel. Langellot. de vaſis palpebrarum novis* Helmſtad. *1676.* edit. ea plenius deſcribit *lit. B. 3. a. ſeq.* docetque alia eſſe ab iis, aut ſaltim

longe

longe clariora, quæ *Dominicus* MARCHETTIS *Anat. p. 206.* de externi anguli oculorum duobus foraminibus proposuit. Invenit autem primum. Exc. *MEIBOMIUS* clɔ Iɔc LXIII. ceu testatur in laudata *Epist. lit. B. 1. a.* Eadem in limbis palpebrarum capitis vitulini longe plurima, pulcroque dispofita ordine, oculo, cultro, setis investigavit Exc. *J. D. MAJOR in Colleg Med. Curios. specim. 3. §. 11.* additque flatu similiter investigare vix licuisse, ob laxitatam & teneritudinem obliquitatemque aquosorum ductuum; simulque Inventorem CL. H. Meibomium laudat, quod & facit Exc. *WEDELIUS Physiol. s. 3. c. 26. p. m. 184.* uterque Fautor, Collega & Amicus æstimatissimus.

§. 33. *CUTIS* sub porulis *GLANDULAS* lyncei Anatomicorum hujus seculi oculi fecere clariores: siquidem *CL.* STENONIUS observavit singulis poris suam glandulam subjacere quæ vel major est in ægris, vel minor in sanis. Major est in iis qui sudant multum & sæpe. Ad has glandulas pororum miliares per transversum excurrens nervus hiat, *MALPIGHIO* notante, immo ipsæ arteriæ. Ex minimis his glandulis excernitur per totum sudor &c. referente *CL. Th.* BARTHOLINO *A. R. l. 1. c. 2. p. m. 21.* Glandulas ejusmodi miliares in pectoris qq. cute publice demonstravit Exc. *Carol.* DRELINCURTIUS, ceu vidit & retulit *CL. PECHLIN. de purgant. c. 34. p. m. 472.* qui antea *p. 471.* ita: *Latent cutem inter & pinguedinem substratam glandulæ, quæ copiosum serum, maxime vero ad motus augmentum in se recipiunt, perque suos ductus revomunt. Hæ glandulæ oculo anatomico patent, modo subtili manu expediantur, quod vel in femorum pinguedine, aut passim in leucophlegmaticis felicius tentatur.* Pergit paullo post *p. 472.* *Ab hocce glandularum subtegmine tubuli etiam non nulli exporriguntur: omnibus enim glandulis sua sunt excretoria, in ultimam continuati cuticulam vix, & nisi a sudante sero, patentes. Sed & aliquot in partibus tractim digitis mulcendo humor hisce osculis emungitur serosus, ut in digitorum pulpa & alibi corporis, disposito jam ad sudorem sanguine, plus millies expertus sum.* Hinc *BLASIUS* qq. *Anat. hominis l. 1. c. 2. p. m. 2.* statuit cutis substantiam membranaceo - glandulosam. Hoc jam antea qq. olfecit *Joh. v.* HORNE, ubi *in microcosm. §. 64.* duplicem cutis substantiam exposuit, exteriorem sc. nerveam, albam, porosam; interiorem vero carneam & veluti

NB. par-

NB. parvis glandulis refertam. Hinc GARMANNUS *de Miraculis mortuorum l. 1. tit. 1. §. 16. p. m. 6.* Ait pilorum humorem quo nutriuntur hærere in Cutis glandulis. *Quid enim* (pergit) *Cutis, nisi* glandulosa substantia ?

§. 34. Scilicet CL. STENO ap. *Th. BARTHOLIN : Cent: 3. Epist. 65. p. m. 263.* eas perscribit Lugduno-Batav : 9. Januar. st. n. cIɔ Iɔc LXII. Adeoque jam viderat cIɔ Iɔc LXI. Eodem die & anno ex eodem Lugduno Batav : ad Eund : Bartholinum (uti legere est *Cent. 3. Epist. 97. p. m.* 420.) scribit hæc Exc : D. BORRICHIUS de Anatome Typographi a *Ioh.* von *HORNE* administrata : *Labia, quod tumidiora deprehenderentur, aperta, magnum* glandularum *numerum statim sub cute ostendebant ; postridie privatim aperta crura itidem,* infinitas glandulas sub cute *latere docebant, ut forsan non incredibile sit annexas esse per universum corpus cutis interiori faciei* glandulas minutissimas, *ex quibus sudor exprimatur, adeo, ut pori corporis non sint nisi harum glandularum minuti ductus, esse autem has glandulas in sano corpore adeo minutas, ut visum pæne fugiant, in morboso conspectiores.*

§. 35. VALVULÆ VENARUM succedunt, quas Ostiola vocavit *Hieron : Fabric : ab* AQVAPEND : *tr. pecul :* de illis it : ROLFINC: *dissert: anat. l. V. c. 14. p. m.* 860. Cum vero aliquam multi auctores eas partim concise, fuse partim & adtigerint & tractarint, videbor post Homerum Iliada scribturus. Erigit me tamen conatus Amplifs. *Th. BARTHOLINI*; qui *A. R. libell. I. c. 2. p. m.* 594. eas tractaturus; ait : *Quia vero hæc de valvulis venarum doctrina* paucis cognita est, *exactius , more nostro in* rarioribus *usitato eam proponemus.* Sunt autem illæ definiente AQVAPEND : *l. a. membranulæ aliquot tenuissimæ* (ita vocat qq: SPIGEL : *H. C. F. l. V. c.* 1. recte tamen CL. *Th. BARTHOLIN: l. a. p. m. 594. seq.* limitat ; aitque in orificiis vasorum cordis esse Crassas) *in interna cavitate venarum, quæ potissimum in artus distribuuntur per intervalla nunc singulatim, nunc geminatim dispositæ, ac sursum quidem, versus venarum radicem, orificium habentes ; infra autem clausæ, & now dissimilem formam exterius præ se ferentes, ac nodi in plantarum ramulis & caule apparènt.* RIOLANUS *diss. de valvulis venarum in principio* ait esse veluti

appendices tunicæ venarum intra cavitatem ſuam eminentes. E membrana quadam tenuiore, ac ipſa vena eſt conſtare ſcribit SPIGELIUS *l. c.* Figura prorſus ſimiles ſunt valvulis illis, quæ in corde reperiuntur, adteſtante SPIGEL *l. a.* videlicet Sigmoides ſive ſemilunares teſtibus HARVEI *Exerc. I. Anat. de Motu Cord. p. m. 120. RIOLAN: diſſ: de valvul: venar:* Conjunctim ut plurimum geminæ reperiuntur, utrimque ſcil. una, interjecto ſpacio diſtantes IIDEM *ibid.* Neutiquam vero ſpectant verſus partes, uti opinatus eſt AQVAPENDENS *l. a.* Sed verſus Cor, HARVEI *l. a. p. m. 120. ſeq. HIGHMORVS diſquis: Anat. f. m. 50.* Cavitate ſua (inquit SPIGEL: *l. d.*) venæ cavæ truncum ſpectant; at convexa ſede exteriores artuum partes. RIOLAN: *l. c. p. m.* 104. dicuntur ſitu diverſo alternatim poſitæ, ita ut ſequentis membranulæ latus, præcedentis convexam partem reſpiciat. adde HARVEI. *l. d. p. m. 120.* Tota res αὐτοψίᾳ patet. Poterit quoque quilibet in ſemet ipſo rem probare, in cubito præcipue ſuperius, ceu multotios in memet expertus ſum, aliique mecum: ſi nim; verſus digitos & extrorſum altera manu venas (Præcipue cephalicam dictam ejuſq; ramos) premendo tentes; circa valvulas intus latitantes obſervabis exterius durum tuberculum renitens, inſtar nodi alicujus: Secus autem eveniet ſi a carpo verſus humerum protrudes in venis ſanguinem, nihil enim tunc obſtabit; teſtibus HARVEIO *l. a. p. m.* 124. *ſeqq. SPIGEL H. C. F. l. V. c.* 1. *Th. BARTHOLIN. A. R. p. m.* 594. qui addit etiam apparere in vivorum brachiis ad phebotomiam ligatis; quibusdam vero, ut bajulis & ruſticis varicum modo in cruribus intumeſcere. Iconem quoque expreſſam proponunt ſpectandam HARVEI. atq; BARTHOLIN:

§. 36. Inveniuntur autem ejusmodi valvulæ non ſolum in venis majoribus circa Cor; ſed etiam in majoribus venarum ramis, inprimis in illis, qui in artus diſſeminantur, teſte SPIGEL: *H. C. F. l. V. c. 1. p. m. 180.*

Sic VESALIUS *in Exam: obſſ: Fallop.* notat a CANANO ſibi propoſitas fuiſſe membranulas in majoribus venis, quales exſtant in corde: ap. RIOLAN. *l. a. p. m.* 105. In trunco cavæ ex hepate proſilientis, RIOLAN. *p. m.* 105. *& Carol: STEPHANVS* ap: eund: Nunquam tamen ſe obſervaſſe ſcribit RIOLAN. *p. m.* 106. *Th. BARTHOLIN. A, R. libell.* 1. *c. 2. p. m. 595.* ait: *In cavæ trunco non reperiuntur, quia in divaricationibus poſitæ valvulæ regreſſum ſatis inhibent; nec mo-*

*ram*

*ram in trunco Copia trahit.* Unicuique tamen cavæ ſurculorum orificio in brutis, ubi in cavam inhiant, valvula appoſita eſt, ſcribente *Nathan.* *HIGHMOR: disq. anat: l. 1. p. 3. c. 1. f. m, 50.* In artuum venis, RIOLAN. *p. m. 104.* In CAVA DESENDENTE duas interdum quatuor obſervavit RIOLAN: *in Enchir: Anat: & diſſ: de Valvul: Venar. p. m. 106.* In Emulgentibus; VESAL: HARVEI. *p. m. 121.* & RIOLAN. *p. m.* 107. In ramis meſenterii verſus portæ venam; HARVEI. & RIOLAN: *ll. aa.* Dantur quoque in trunco venæ portæ; quamvis nullas viderit RIOLAN. *p.* 107. In Iliacis ramis prope Coxendicem HARVEI. *p. m.* 121. In Cruralibus *Jac. SYLVIUS* ap. RIOLAN: *p. m. 105. & 107.* HARVEI *l. c.* In Saphæna, RIOL. *p. m. 107.* In Azygi ore ex mente *Jacobi SYLVII* ap. RIOLAN *p. m. 105.* Harum Auctorem eſſe CANANUM ſcribit AMAT: *Luſit. C. 1. cur. 51. VESAL: in Ex: f. 83.* Conf. *C. HOFMANN Apol. pro Galen. l. 2. ſ. 4. c. 64.* In Jugularibus; RIOL. IB. HARVEI. *p. m.* 121. In Jugulari interna RIOLAN: *p. m.* 104. *& 106.* negat tn. AQVAPEND: & Th. Bartholin. A. R. libell. 1. c. 2. p. m. *595.* quia difficulter ſurſum regreditur ſanguis venoſus ſua ſponte gravis, nec repagulo ibi indiget. In externa jugulari RIOLANUS negat; ratio vero ejus eſt calva. Quin in ſuſpenſi venis Jugularibus, præſertim dextra externa valvulam ſemilunarem obſervavit Cl. *Joh. Rud. SALZMANNUS in obſſ. Anat.* 10. Febr. 1609. quæ tamen non ſurſum ſed deorſum ſpectabat, ita ut potius adſcenſum quam deſcenſum ſanguinis impedire poſſe crederetur. Et revera hoc non miratus eſſet Optimus Vir, ſi ipſi innotuiſſet Sanguinis Circulatio, cujus tunc nec vola nec veſtigium in ſcribtis erat. Axillaris duas habet in exortu ſuo ſeriatim diſpoſitas; RIOLAN *p. m.* 106. Hucque videntur referenda illa, quæ CL. *Nic. STENONIS* perſcribit ad Immortal: *Th. BARTHOLIN*: quæque *Cent. 3. Epiſt. 65. p. m. 264.* ubi de ductu thoracico agit leguntur: *Nuper obſervavi illius* (ductus thoracici) *in vena cava oſtiolum* valvula ſatis magna *& eleganti adverſus regurgitantem ſanguinem munitum, quæ eadem* valvula *etiam ductus lymphatici a collo deſcendentis exitum claudebat. Immiſeram primo per modo dictum lymphaticum ſetam in ipſam usque cavam, hinc & per ductum thoracicum*

*in eandem axillarem viam tentans, eo vix tandem penetravi. Cum itaque in ipsa cava versari setas deprehenderem, aperui illam, & simul in conspectum produxi bina ostiola sibi admodum vicina, &* communi valvula *tecta.* In Venis Colli cerebrum subeuntibus RIOLAN. *p. m.* 104. cervicalem vero non habere statuit *p. 106.* forte præter rationem. Humeralis duas vel tres valvulas obtinet; RIOLAN. *p. 106.* In Brachialibus *Iac. SYLVIUS* ap. EUND. *p. 105.* Hicque in Cephalica & Basilica innumeras vidit alternatim collocatas *p.* 106. In Coronalis orificio RIOLAN. *Ib:* In umbilicali vena nullas esse statuit HOBOKEN. *Anat. secundin: hum. p. m.* 89. *seq.* 139. 192. 233. 298. & 481. credo tamen acuratius inquisituro forte etiam apparituras. In venis externis exiguis non dari scribit *Th. BARTHOLIN. A. R. p. m. 595.* quia ob parvitatem non indigebant, nec metus ullus a regressu propter viciniam pellentium partium & arteriarum. Credo tamen forte non defore; Sed opus Argo est, qui totus sit oculeus, cum propter exilitatem vix oculo nudo conspici poterunt; forte microscopia heic opem ferrent. De numero earum ita: CL. *Th. BARTHOLIN: l. a. p. m 596: Numerus omnium variat, ut & intervalla. Sunt enim plures valvulæ in iis (1.) Qui Melancholico sanguine abundant, aut e contra bilioso & tenuissimo, quod uterque humor & facile pellenti resistat, & facilius pondere suo & tenuitate semel pulsus refluit.* (2.) *In corporibus magnis, aut magis carnosis, ideoque plures venas habentibus.* (3.) *In iis, qui vasa habent latissima.* (4.) *In iis, qui longas rectasque venas habent, nam in obliquis impeditur nonnihil a recursu ex obliquitate Sanguis. Numerus certus non constat, quia novæ quotidie deteguntur & valvulæ & vasa. Nonnulli* 108 *valvulas numerant: Sed plures dantur. &c. DIEMERBROCK Anat. l. 7. c. 1. p. m. 516.* Denique valvulas in venis Triplices imo & Quintuplices esse statuit KERKRING: *obss. Anat. 4.* quem vide omnino.

§. *37.* Usum earum quod spectat, credit *Jac. SYLVIUS*, referente RIOLANO *p. m.* 105. usus ejusdem esse cum membranis ora vasorum cordis claudentibus. AQVAPENDENS statuit, ut sanguinem remorentur, ne confestim gravitate sua, aut fluminis instar in partes exterius ruat, unde superiores forte alimenti penuria laborent, inferiores vero perpetuo tumeant. Sed recte refutatur ab HARVEIO *p. m.* 121.

RIO-

RIOLANUS *p. m.* 104. ait esse, ut tanquam janitrices Sanguinis Cursum & impetum moderentur: in artubus v. consentit AQVAPEND: Conf. SPIGEL *H. C. F. l. V. c. 1.* Hinc quoque PRIMEROSIUS contra Harvej. ait sanguinis motum valvulis in venis impediri, ita ut non tam subito redeat, quam affluit: Huicque non multum abludit Celeberr: *Mauritius* HOFMANNUS, Fautor atque Amicus noster honoratissimus (citante *Lud. MILLERO disp. de Varicib. p. m.* 7.) quando putat esse instar obicis atque remoræ; quo minus sanguis imitari queat nepam, velaque sua vertere & affluens refluere. Adstipulatur Beat. *P. I. SACHSIUS in Ocean: macro-micro c. ss. 73. p. m.* 70. His contrariam fovet opinionem HIGHMOR. *disq. Anat. l. 2. p. 2. c. 5. f. m.* 155; statuitque has valvulas potius sanguinis motum promovere, quam impedire, quia idem præstent officium, quale in cochleis & aquæ ductibus artificiales illæ valvulæ coriaceæ præstant &c. Nec abludit huic simili HARVEI. *Exerc. Anat. l. p. m.* 124. *ID. IB. cap. XIII. p. m.* 121. *seq.* vult factas ne a venis magnis in minores moveretur sanguis, & sic illas dilaceraret, aut varicosas efficeret; neve a Centro Corporis in extrema, sed potius ab extremitatibus ad Centrum progrederetur. Hunc quidem reprehendit RIOLAN. *p. m.* 104. sed non satis habet causæ. HIGHMORUS *disquis: Anat. l. 1. p. 3. c. 1. f. m.* 50. non male ita infit? *Quæ ad cavæ latera interiora adhærentes, ac in orificia vasorum incidentes, ea exacte claudunt: quarum aliæ majores sunt, aliæ minores, surculorum magnitudini respondentes, sursum omnes ad Cor spectantes. Quarum usus in brutis multo major est, quam in hominibus, qui erecti incedunt. Bruta enim, dum prona ambulant, pondus massæ sanguineæ cavam præterlabentis (cum pars hæc hepati proxima infima sit) facile ora vasorum e jecore prodeuntium deprimit, eaque violat. Ideoque natura valvulas adposuit, ut sangvis & in cava præterfluat, & simul ex illorum vasorum orificiis emanet.* Conf. *Jac de BACK diss. de Corde sect: 3. cap. VI.* ROLFINC. *diss. Anat. l. V. c. 14. p. m.* 865. *Alex: MAUROCORDAT: de motu & usu Pulmonum c. V. per tot:*

§. 38. Sed e diverticulo in viam redeundum est. Ecquis perutilium harum valvularum Inventor? Nimirum uti in omnibus noviter repertis accidit ut per ambitionem vel multi simul inventionis palmam sibi postulent; aut per invidiam antiquis deferant, de qua sæpe hi ne per somnium quidem cogitarunt: Sic quoque circa Valvulas venarum comparatum est; ut vel obtorto collo earum inventio rapiatur & referatur ad Antiquos,

§. 39. *Non est dubium* (sunt verba RIOLANI *de Valv. p. m.* 105.) *istas membranulas venarum a veteribus animadversas, & ἐπανθισμοὺς dictas fuisse quod ex RUFFO EPHESIO probatur cap. 23. l. 1.* (Verum in mea Edit: Lat. quæ est Henric. Stephani Fol. 1567. est *lib.* I. *de appellat: part: corp: hum. cap. XXXIII.*) Locum e mea editione adscribam: *Omnium autem, quos noverim, primus DIONYSIUS* Oxymachi filius ἐπανθισμοὺς (quasi dicas efflorescentias) *nomem novum adinvenit; aitq;* (in Edit: altera *atque* legitur) EUDEMUS ἐπανθισμὸν *venam appellari. Sed mihi DIONYSIUS rem quidem venæ similem, ἐπανθισμὸν, non idem tamen venam atq; ἐπανθισμὸν, sed quoddam aliud adventitium sanguinis receptaculum* (Græca RIOLANUS addit: ἀλλά τι καὶ ἄλλο ἐπίκτητον ἀγγεῖον αἵματος) *vocare visus est: φλέβα, ἐπανθισμὸν & ἀρτηρίαν inculcans ac repetens. Neq; enim si rem eandem φλέβα & ἐπανθισμὸν putaret, ita unquam locutus esset. Nam etsi nihil aliud ἐπανθισμὸς quam βλὲψ est nihilominus ipse aliter sentit atq; appellavit.* Sed quis Oedipus inde conjiceret has valvulas a DIONYSIO indigitari. Quidni posset aliquis suspicari, forte auriculas cordis tanquam venæ fimbriam s. extremitatem hoc nomine venire? Forte varicem? sed heic nihil definiam. ἐπανθισμὸς, ap. *H. STEPHAN. in Thes. Gr. Lingv. tom. I. f. m.* 448. est exornatio seu illustratio, quæ fit adhibendo floridos Colores Eadem habet SCAPULA in *Lexic.* In VULG. LEXIC. citatur ex DIOSCOR: pro Flore. Illustr. SALMASIUS *Exercitt: Plin. in Solini Polyhist.* f. m. 255. b. ait: Spuma est ἐπανθισμὸς, aliud quam ἔκβρασμα scil. ap. DIOSCOR. *l. V. c. 61.* legitur ἐπανθισμὸς πορφύρας; quod redditur a *Marcello VERGILIO: Flos purpuræ*. Verum SALMASIVS l. a ait legendum ἐπανθισμὸς πορφύρας, ex purpurariis officinis desumtum, quod liceat purpurissum vocare. Repetit IDEM *f.* 1078. *b.* Procul dubio oritur ab ἐπανθίζω floridum reddo; quod ex LVCIANO & GREGORIO allegat BVDÆVS ap. *STEPHAN. l. d.* Alias ἐπάνθισμα significat efflorescentiam, atque idem quod ἐξάνθημα apud HIPPOCR. I. *Prorrh. f. 1. t. 21. f. 2. t. 25. Coac. t.* 579. a verbo ἐπανθέω effloresco, quod legitur *l. 7. Epid. XXIII.* 19. ait Exc. BRVNO *in Castello Renovat. f. m.* 521. *b.* Explicat quoque FOESIVS *in OEcon. Hipp. f. m.* 222. *a.* ἐπανθισμοὺς quoque a GALENO *l. de venis* appellari venas capillares scribit RIOLAN. *l. a. p. m.* 106. dubito tamen de loco illo. Adeoque nihil validi de cognitione valvularum in venis tempore Ruffi vel antea etiam elicitur.

§. 40.

§. 40. Imo idem RIOLANVS non erubescit *l. a asserere* HIPPOCRATEM jam olim subolfecisse venarum valvulas *in lib. de Oss. nat:* Eundemq; in hanc rem quoque citat CL. ROLFINC. *l. V. diss. Anat. c. 14.* Locus est Edit: meæ Foës: Fol. 1595. Francofurt: ferme in medio libelli f. m. 60; ubi venam humeralem fuse describit his verbis: αὕτη δὲ αἱμόῤῥους καὶ αἱματώδης, καὶ δυσίητος ἢν ῥαγῇ καὶ ἢ σπασθῇ τῇ μὲν γὰρ αὐτέη νεῦρον περιέχει πλατύ, τῇ δὲ χόνδρος. Τὸ δὲ μεταξὺ αὐτῶν αὐτή τε ξυνέχει, καὶ ὑμὴν ἀφρώδης. i. e. vertente FOëSIO: *Hæc autem sanguine fluit & redundat, ruptaque & divulsa non nisi ægre curatur. Altera siquidem ex parte nervo lato connectitur, altera vero cartilago est. Medium vero horum locum ipsa continet, & pellicula Spumosa.* ὑμὴν ἀφρώδης igitur hic nihil significet, nisi referatur ad valvulam venæ humeralis, quæ duas vel tres in medio brachio obtinuit valvulas ita censente dicto RIOLANO. Verum miror, quod CL. Vir, quem tamen statim in sequente loco laudavit, non inspexerit FOESIVM, qui *in notis ad h. l. n. 49. f. m. 131.* ita dixerat: *Ceterum hic videtur spumosam pelliculam vocare, Carneam illam membranam, qua humeraria sub cute fulcitur, cum internum latus musculi brachium adtollentis, & validum tendinem musculi brachium ad pectus adducentis, perreptat quem nervum venam appellare mihi videtur.* Et revera FOESII conjectura mihi non displicet; novi enim illam membranam sub ala plane apparere Spumosam, quod multoties in anatome hominum & Canum observavi; ubi non cultro sed digitis manubriove illa membrana separatur. Adeoq; nullatenus ex hoc loco de Venarum valvulis conjicere tuto licebit.

§. 41. Sed ab eodem Riolano Ibid: alius locus HIPPOCRATIS in subsidium vocatur ex *eodem libro* fere circa finem; ubi venas pedum describit, & inter alia ait: Παρὰ δὲ τὴν γαστροκνημίην οἷον σφενδόνην πεποίηται. i. e. At juxta posteriorem tibiæ partem carnosam fundam facit. Ad *h. l. FOESIVS in notis f. m. 132.* ait σφενδόνην sumi pro quodam venarum ductu fundam similitudine referente, angustis extremis & medio latiore: Quæ & habet in OEconom. Hipp. f. m. 605. a. ubi plura adhuc alia de hac voce. Ex hoc loco igitur ita concludit RIOLANVS: *Annon intelligit Ostiola venæ suram perreptantis, quoniam vena ibi semper latior & amplior, ubi valvula consistit?* Verum ficulneum hoc est argumentum. Loquitur enim HIPP: [vel quisquis libelli auctor est, vide disceptationem super hac re ap. FOES. *in nott. ad h. librum n. 1. f. m. 128.* Sed Hippocrati adstruit Exc. D. SEGERVS, *diss. de Hipp. l. π. καρδ: c. V. §. 4.*) de externa forma venæ, ad quam similitudinem instituit, non

au-

autem de interna ſtructura, aut repagulo quodam membranaceo. Siquidem & veteribus varices noti erant; quibus tamen de valvulis nihil innotuerat.

§. 42. EBNSINA [vulgo Avicenna] celebratur primus, qui de his valvulis egerit a *C. BAVHINO Anat. l. 4. c. 36. p. m. 1227.* dum cellulas in venis ſtatuerit: Ex eodem quoque refert *Th. BARTHOLIN. A. R. p. m.* 594. Verum nondum ap. Avicennam obſervavit CL. RIOLANVS *l. a. p. m. 106.* adeoque recte ego cum eodem locum deſignari cuperem.

§. 43. HIERONYMVS FABRICIVS ab Aquapendente Anatomicus Patavinus celeberrimus a plerisque Inventor laudatur; ſiquidem ipſemet A. C. ∞ D. LXXIV. in publico theatro Anatomico ſumma cum lætitia obſervavit & demonſtravit, miratusque quod nemo ante ipſum viderit, teſtibus KERKRING. *in procem. obſſ. C. BAVHIN. l. a. ROLFINCIO. Diſſ. Anat. l. V. c. 14. p. m. 862. Th. BARTHOL. l. c. p. 594. RIOLAN. l. c. p. m.* 105. *l. D. MAJOR. Anat. I. Kilon. c. 2.* §. 30. *f. m. 12. HARVEJ. Ex.* 1. *de Circul. c.* 13. *p. m.* 120. *SPIGEL l. V. H. C. F. c.* 1. *Ludov. MILLER diſp. Inaug. de varicibus* §. 4. *p. m.* 7. *Altdorf. 1680.* Idemque AQVAPENDENS de iis tractatum evulgavit 1603. cuſum teſte C. BAVHINO *l. a.* ſcil. Patavii in Fol. qui recuſus ibid. 1625. & Francof. 1644. & 1648. in Fol. teſte LINDENIO *de ſcribtt. med. l.* 1. *p. m.* 254.

§. 44. Verum AQVAPENDENTEM indicia accepiſſe harum valvularum a Rev. Patre *PAVLLO* Monacho Servita, Veneto; non ſine aliqua ingratitudinis exprobratione ſcribitur *in Ejus Vita*, quod Inventorem ſubticuerit, teſtibus *RIOLANO p. m.* 105. *Th. BARTHOLIN. A. R. p. m.* 594. *SARPIVM SERVITAM* vocat *GASSENDVS in vita Peireskii l.* 4. *p. m.* 438. Primumq; inventorem ſtatuit. Eidemq; *P. PAVLLO* adſcribit *ROLFINCIVS diſſ. Anat. l. V. c.* 14. *p. m.* 862.

§. 45. Imo jam antea *JACOBVM SYLVIVM* Med. Prof. Pariſienſem illas cognoviſſe ſcribit *RIOLAN*: *p. m.* 105. & ex hoc *HARVEJ: de Motu Cord. & Sangv. Exerc.* 1. *c.* 13. *p. m.* 120. Eidemque tribuunt *ROLFINC. l. d. atque Th. BARTHOLIN p.* 594. *MAVROCORDAT. c.* 4. *p. m.* 31. *Scil. in Iſagoge ſua Anatomica l.* 1. *c.* 2. *de Membranis*, teſte *RIOLANO*, ubi Epiphyſes vocat. Adeoq; non male pro primo haberi poteſt, qui eas denotavit,

§. 46.

§. 46. VESALIUS *in Exam. Obff. Fallop.* notat etiam a CANANO ſibi propoſitas fuiſſe membranulas in majoribus venis, qualis extant in corde, uti ex eodem refert RIOLAN. *de Valvul. venar p. m.* 105.

§. 47. Deinceps multi alii easdem obſervarunt. Sic *Salomon ALBERTUS*, Norimbergenſis Med. Prof. CL. Wittebergæ ∞ D LXXIX. oſtendit, & ∞ D LXXXIV. de iis ſcribtum evulgavit, teſte *C. BAUHIN l. 4. c. 36. p. m. 1228. ROLFINC. Diſſ. Anat. p. 862. Th. BARTHOLIN. l. a.* Sic ARCHANGELUS PICCOLHOMINEUS Italus ſcribit ab omnibus hoc prætermiſſum, ſibique ſummam admirationem, cum illud comperiret, excitaſſe, ut fere in ecſtaſin ageretur; referente *C. BAUHINO l. a. p. m. 1227.* Imo hanc forſan antequam Fabricius Patavii demonſtraverat, eas deſcribſiſſe contendit RIOLAN. *p. m.* 105. Conf. *Th. BARTHOLIN. l. a.* Eas quoque adtigit *Andr. LAURENTIUS*, a quo *C. BAUHIN* & *Th. BARTHOLIN.* Plura qui de his valvulis deſiderat adeat præter laudatos *SLEGELIUM de Sang. motu c. 3. p. m.* 14. *SACHSII Ocean : macro-microc : Alex. MAUROCORD. tr. de Pneumatic. Inſtr. circ. ſangu. c. 4. DEUSINGIUS diſſ. Anat. de Motu Cord. & ſangu. ſect. 1. VESLINGIUS. Synt. Anat. c.* 14. *DIEMERBROCK: Anat. l. 7. c. 1. p. m. 516:*

§. 48. *Arteriæ autem valvulis carent, ut Spiritus Vitalis inſtar radii ſolaris momento in partes diſtantisſimas feratur*; Sunt verba RIOLAN. *l. a. p. m.* 107. Sed hoc non fit: melius ille Spiritus ſucceſſive beneficio pulſus & non in momento defertur ad diſtantiſſimas partes. *Jac. de BACK diſſ. de Corde cap. VI. p. m.* 221. ait arteriis nullas conceſſas eſſe valvulas, quia uno impetu a cordis actione eleventur, atque ea ceſſante ſimul contrahantur & concidant; dein quia propter ſubſtantiæ duritiem vicinarum partium mole non facile, ſicut venæ comprimantur. Verum quod ad ultimam rationem ſpectat, vereor quin ſit nulla; non ubique enim tum notabilis arteriarum eſt craſſities, maxime in minoribus, ceu ſcribſi olim *Diſſ. de Hæmorrhoid. n. 6. p. m. 8. ſeq.* Nullas in arteriis dari ſcribunt HARVEI. *Exerc. I. d. ſangv. mot. c. 13. p. m.* 121. *Lud. MILLER. l. a. p.* 6. In arteriis umbilicalibus valvulas locent COURVEUS & HOBOKENUS ſcribente *Th. BARTHOLIN. A. R. libell. I. c. 2. p. m.* 595. Verum non veras dari valvulas in iis ſcribſerat HOBOKENUS *Anat. ſecundinæ hum : repetitæ ſ. 1. c. 2. §. 38. ſeq. p. m.* 141. Forte ſi quis accuratius perſcrutaretur, poſſet eas invenire; quamvis, ut verum fatear, nullam uſus neceſſitatem videam.

§. 49. In NERVIS dari valvulas præſubponit *Acutiſſ. Renat.*

 *des*

*des CARTES tr. de Homine*; imo aſſecla ejus *Henr. REGIUS Philoſ. natural. l. 4. c. 16.* hoc confirmat aitque multas in nervis dari valvulas, easque ibidem depingit: Verum mire exagitatur a DIEMERBROCK: *Anat. l. 8. c. 1. p. m. 542. ſeqq.* ubi fuſe refutat iſtam ſententiam; ut & *Th. BARTHOLIN. A. R. libell. 3. c. 1. p. m. 664. ſeq.* Sic nervo in vivo animali filo conſtricto nullus ſupra vinculum apparet tumor ceu ſcribit Celeberr. *l. D. HORST*: ap: *SEGERUM Epiſt. 2. de Lympha Bartholin. p. m. 35.* Hocque Idem CL. SEGERUS *Epiſt. 3. p. m. 45.* fieri tradit, quia & nervorum ſubſtantia ad intumeſcendum inepta, & Spirituum ad tumorem in nervis excitandum debilis ſubtilitas prohibet, ut intumeſcere poſſit. Hinc ſi ligetur nervus aut obſtruatur, ſubſiſtit Spiritus, aliamque quærit viam.

§. 50. Addimus obiter VALVULAS VASORUM LYMPHATICORUM, quas dari ſtatuit *Franc. de le Boë SYLV. diſp. med. VIII. §. 16.* atq; *Th. BARTHOLIN. A. R. l. 1. c. 14. p. m. 133.* ubi addit earum ſedes deſignaſſe RUDBECKIUM, ſed conſpicuas ſibi aperuiſſe *Frid. RUYSCHIUM*, receptaculum chyli reſpicientes, prohibenteſq; ne quid e receptaculo ad hepar perveniat. Imo Idem BARTHOLIN. *libell. 1. A. R. c. 3. append. 3. p. m. 622. ſeq.* de vaſis Lymph. ait: *Nodoſa quoque ſunt, & externe apparent, inæqualiter tumentia, inprimis ſi ligatis illis lympha ſiſtatur, idque propter* Valvulas, *non tantum ingreſſui in axillarum affixas, ſed in omnibus ramis diſpoſitas, geminataſq; ubique, & obliq; invicem ſuperpoſitas, textura tenerrimas, & numeroſiores quam in venis, adeò ut ſupra* bis mille *in lymphaticis aliqui demonſtrent, quarum uſus eſt impedire ne aqua ad lymphatica regrediatur.* Has autem cum negaverit *Ludov. de BILS*, convictus fuit a CL. RUYSCHIO ſed regeſſit aliud effugium *in reſponſ. ad Epiſt. Tob. Andreæ p. m. 6.* quod egregie ridet DIEMERBROCK *Anat. l. 1. c. 12. p. m. 58. ſeq.* Dari illas valvulas ſtatuit quoq; *ROLFINC Diſſ. Anat. l. V. c. 14. p. m. 864. KERCKRING. obſ. anat. 91. p. m. 174 BLASIUS Anat. Contr. p. m. 92.* & Celeb. *I. D. MAJOR, Fautor Amiciſſimus Anatom. Nov. lit. C. 3. a.* viditq; in Lymphatico majore *MOINICHENIUS ap. Th. BARTHOLIN. Cent. 3. Epiſt. 1. p. m. 7.* per collum cum jugulari interna deſcendente valvulam ſæpius ingreſſum munientem. Nos quoque aliqua ſuperius tetigimus. Denique in URACHO funiculi umbilicalis nullam intercurrentem valvulam aut ejus ſpeciem adnvenit HOBOKEN: *Anat. Vitul. ſecundin: ſ. 1. c. 5. §. 18. p. m. 92.*

§ 51.

§. 51. Hæcque inter ſexcentas negociorum turbas ſufficiant. Quæ reſtant, ubi ſubpetet benignius ocium pro virili addemus. L. B. boni conſulat levem hunc conatum, meliora ſi ſuperaddet gratiam abs me & omnibus bonis merebitur longe maximam, eumq; valere jubeo pancratice.

---

Julius JASOLINUS Medicus Hipponiat: in Epiſtola ad Marc: Anton: Columnam: Romanum Principem p. m. 2.
*jam ante CENTUM annos ait:*

Inter diſciplinas jam adauctas illuſtresque redditas eſt ANATOME, NB. cujus adhuc aliqua ſepulta jacent.

*Th. BARTHOLIN: tr. de Vaſis Lymph. c. 1. p. m. 208. inquit.*
Nempe ſeculi hujus eſt felicitas, ſuperiora novis inventis ſuperare.

---

## Sequuntur Doctisſimi Viri quorum ope ſum uſus.

R. *Henr.*

# INDEX RERVM.





Coch

La.

## *Sphalmata Typographica ita legenda.*

p. 2. lin. 15. concomitamini. p. 4. l. 1. Scrupulosius. P. 15. l. 21. oculis. l. 23. BARTHOLIN.

Reliquos errores Typographi, Lectoris Benevolentia, meos autem in rebus commune jus humanitatis benignissime excusabit.

# *FINIS.*